

14 Hoccine hieroglyphicum priscum utique inter Sacerdotes, Aegypti Mystas, uti observat Kircher. in Obelisc. Pamphil. lib. 3. cap. 3. Iconism. 4. & in Oedip. Aegypt. Tom. 1. Syniagn. 3. cap. 3. ubi: Apud Aegyptios Osiris cum musica maxime recrearetur; novem secum psaltrias, quae postea à Graecis Musa dicta sunt, una cum earum instructore Apolline, assumpsit. De huiusmodi effigie inter Antiquos celebri (equidem dictum vel fictum, in Achate Pyrrhi, Epirotarum Rege, expressum fuisse à natura Novem Musas, Apollinem, lyras, tibias, citharas & caetera instrumenta Musarum propria, uti ait Bulenger. de Pictur. cap. 9.) unde Pyrrhi celebratur annulus à Solino, cap. 11. & Plinio, lib. 37. cap. 1. dicit Georgius Draudius, in Solin. cap. 46. (quod inseruit totum Alberti Magni tractatum de Gemmis) Ad sapientiam habendam legitur, Regem Pyrrhum gestasse in digito Achatem, in qua miro decore novem Musae insculptae erant, & Apollo Deus sapientia in medio, manu citharam tenens. Profecto desipit: & quia attribuit superstitiosè huiusmodi & alias facultates conformationi imaginum coeli; & quia arte siccine sculptum sigillum astruit; quod quidem ludicrum, & falsum, juxta praefatos AA. Habuisse traditur Achatem, in qua novem Musae & Apollo citharam tenens spectarentur; non arte, sed sponte natura. Plinius: Solinus autem d. Non impressis figuris, sed ingentis.

15 Parvi vel nullius momenti, quod Philadelphus hoc intuitu vel alio ducetur in Bibliothecae dedicatione: verum summi, quod ex ejus erectione nobis orientetur felicitas translationis factorum Codicum ex Hebraeo in Graecam linguam per Septuaginta Interpretes; de quo 15. Novembris, à n. 5. Has sacras litteras (infit Augustin. 18. Civ. cap. 42.) unus Prolemaeorum Regum Aegypti nosse studuit & habere: . Do-na regia in templum Dei misit, petivitque ab Eleazaro tunc Pontifice, dari sibi Scripturas; quas profecto audierat famam predicante divinas: & ideo concupiverat habere in Bibliotheca, quam nobilissimam fecerat. Idem apud Philon. 2. de Vit. Moyf. Aristeam, d. Joseph. loc. cit. Tertull. Apologetic. cap. 18. Athanas. in synops. Epiphan. de Mensuris & ponderib. & Hieronym. usquequaque. Immediatè ab assumptione Philadelphi in societatem regiminis cum patre, factam praefatam translationem asserit Briet. & Salianus; Ann. 3770. Epiphan. d. signat ann. 17. Philadelphi: Torniel. ann. 28. Consule Ann. 3798. n. 3. Legationem missam ab hoc

Apollo cum aduiss.

Pyrrhi annulus.

Translatio Septuag. interpret. per Philadelphum.

ad Eleazarum Summum Sacerdotem, duce Aristea die 7. Augusti. asserit Reuclin. cujus fide ducti, referemus à n. 7.

16 Hac in die apud Hebraeos celebratur inviolabile jejunium, ob domum Sammai, & domum Hillel inter se sectas, & divisas: id est, propter divortium scholarum, & diversas utriusque contentiones. Genebrard. Scaliger. & Leonard. Mar. in Kalen. De his Hieronym. in Isai. 8. 14. inquit: Erit vobis in petram scandali duabus domibus Israel. Nazarai, qui Christum recipiunt, ita ut observationes veteris legis non admittant; Duas domos, interpretantur, Sammai & Hillel, ex quibus orti sunt Scribae & Pharisei (vide 27. Octobr. n. 7.) Sammai igitur Hillel, non multo prius quam Dominus nasceretur, orti sunt in Judaea: quorum prior Dissipator interpretatur; sequens, Profanus, ed quod per traditiones & deuterofes suas, legis praecepta dissipaverint, atque maculaverint: & has esse duas domos, quae Salvatorem non receperint, qui factus sit eis in ruinam & in scandalum. Idem Baron. in Apparat. Annal. n. 8.

17 Genebrard. Ann. 3952. Horum principium signat in diebus Joannis Hircani; vocatque duas nobiles familias, seu collegia Sammai & Hillel: ex quibus orti sunt, seu potius incrementa acceperunt, Scribae & Pharisei. Sammai utique & Hillel Praesides fuere nonae Synodi Synagogae, ut dicitur, 23. Augusti. n. 4. decreta pro Phariseis probandis. Celebrior inter illos Hillel, igitur ducentos discipulos doctissimos habuit, quorum minimus, qui fuit Johanan Ben Zacchei, universum Cabalae & Scripturarum corpus, cunctas etiam Philosophiae partes exactissimè tenuit Praeses Scribarum & Phariseorum magna cum laude. Clariore discipuli fuere Simeon Justus Jonathan Ben Uziel Maximus, qui Syriacè totum vetus testamentum reddidit & Christi mysteria revelavit. Idem Genebrard. ex Rabbini, Ann. 4011. & 4014. Huic tribuitur Thargum Chaldaicum, sive Babylonicum (quod Paraphrasis Chaldaica dicitur; ed quod Babylone legem sacram ex Hebraeo Chaldaicè reddidit viginti circiter annos ante N. Servatoris nativatem. Inter Rabbinos traditio, Syriacè scripsisse totum vetus Testamentum, quae versio evanuit, ut placet Marianæ, Opuscul. pro Edirion. Vulgata, cap. 12. Unde si verum, sine fulcro asseritur, à Ben-Uziele fuisse Thargum Babylonicum; quod viderit lector, cum apud AA. illi semper tribuatur praefata Paraphrasis, titulo Thargum Babylonicum. Thargum aliud habemus, quod

Jejunium Judaeorum propter divortium scholarum.

Qui illarum rectorum Hillel & Sammai?

Ben Zaccheus.

Jonathan Ben Uziel. Simeon Justus.

Duo Thargum.

Onkelos. dicitur Hierosolymitanum confectum diligentia Rab. Onkelos, qui Uzielem imitatus, quinque Moysis libros vertit in Chaldaicam linguam sub Adriano Imperatore. Hinc quod ab hoc versum, dictum Thargum Hierosolymitanum; & quod ab illo, Babylonicum: de quo qui supr. cap. 11. Onkelos dictus à Rabbini filius fororis Imperator. Titi. Quapropter in Praefation. Dictionar. Chaldaic. Elias Levites inquit: Onchelfo autem fuit filius sororis Titi, ejus qui templum everit. Jonathan è discipulis fuit Hillelis, qui vixit centum circiter annos ante templi excidium. Post Uzielem sapientia & virtute floruit. Alium discipulum signat, nomine Menachem, qui coram Rege (arbitror fuisse Herodem Ascalonitam) sapientia illustrissimum; de quo Gemarici in Chagiga apud Braun. 1. p. de Vestr. Sacerdot. Hebraor. cap. 8. n. 14. Exiit Menachem, ut ministraret Regi; & exierunt cum eo octoginta pares discipulorum vestiti sericum. De Jonatha Uziele plura apud Galatinum, qui lib. 1. de Arcanis cathol. veritat. inquit: Jonathan Uziel filius, Hillelisque auditor, utque Simeonis Justus, qui Christum infantulum suscepit in brachijs condiscipulus, totum vetus instrumentum in Chaldaeam vertit linguam, atque exposuit. Recutiti sine mendacio nihil ostentant: unde in Bababathra legitur: Magistri dixerunt, quod in hora qua eidem editioni, & expositioni vacabat, si musca aut quoddamque volatile super chartam volasset; illico absque ulla ejus, aut chartae lesione coctus exurebatur. Ingeniosi sunt Apella.

18 Ex Rabbini ergo sciendum, qui fuerint hi Magistri, quorum scholae divisa. Hillel Babylonicus erat & Hierosolymitanus venit Morena, id est, Doctor noster, Archididascalus, qui facultatem solus habebat, uti Princeps Synedrii Magni declarandi Doctores, & signandi Rabbinos. Adi Petr. Cunæum, 1. de Hebr. Republ. cap. 12. Pridem facultas penes Sanhedrin, sed postquam Hillel è Babylonia venit in montem Sion, quod septem collegia divinarum litterarum; Nemo deinceps Doctor, nisi cui id concessisset divinus Senex Rabbi Hillel. Ita Moyses Aegyptius in Halach. Sanhedrim, cap. 4. additque: Is autem Magni Concilij Princeps erat, & alterum sub se Praesidem habuit Sammeam, hominem iraculentum, ambitiosumque: cuius sectatores cum paulo post contra discipulos Hillelis insurrexissent, tantis studijs animos hominum concitare; penè ut totus populus pertractus in partes sit.

Quisnam Hillel, & ejus honor?

Quis Sammeas?

Duo Thargum.

Scholarum, ut observat Petr. Cunæus, d. lib. 2. cap. 17. Controversias & quaestiones ex sacris litteris eruere; morbus esse cepit deterioris evi. Talmudicorum illud est octodecim res esse, de quibus contentio fuit inter familiam Hillelis & Samai; quas neque Elius quidem expellere posset. Profecto hoc est, ad desperationem desipere. Adco enim nodosa atque intricata commenti sunt duo illi dissidendum sectarum Duces; ut nec Fatem quidem, aut celeste Oraculum ferre opem potuisse, autement. Non fecus sub praedicatione Pauli Hymenæus & Philetus varia deliria excitarunt, de quibus Epiphan. Haes. 28. & Euseb. Histor. lib. 2. cap. 7. & 3. cap. 28. & cum viris serperet, Paulus Tito dixit, cap. 3. 9. Similias autem quaestiones, & genealogias & contentiones & pugnas legis devota: sum enim inutiles & vanae. Vide selectissima apud Joann. Annium in Philon. Breviar. de Tempor. p. 2. in fin.

20 Profecto Hillel doctissimus vel inter suos est habitus. Rabb. Abraham Zaccuth, Salmanticensis in Juchasim, inquit: Omnia Biblica exemplaria fuisse emendata ad quemdam venerandae antiquitatis codicem, quem sua manu olim conscripserat Rabbi Hillel, Summus Judaeorum Praesul, qui Babylone in Syriam venerat sexaginta annis ante Jesu nativitatem. Rab. Kimhi in sua Grammatic. in Pasuk, asserit, Toleti, Pentateuchum Hillelis vidisse. Consule Petr. Cunæum, d. lib. 1. cap. 18. Ab Hillel, Sammea, & alijs asseriebant Pharisei suas sumpsisse traditiones, ut auctoritate fulcirentur, quae ab illis excogitata vel turpia vel ridicula; ut taxat Hieronym. Epist. 151. quaest. 10. Solent respondere (infit) Rab. Akiba & Simeon, & Hille Magistri nostri tradiderunt nobis. Consule Baron. Ann. Christ. 53. n. 7. & Saubert. 1. p. de Sacerdot. Hebr. cap. 26. cum Genebrard. loc. cit.

21 Anno Christi 31. ejus jejunij dies trigessimus tertius. Ann. 32. autumnat, in Chron. Lamy, sedatam à Salvatore procellam ortam in mari Tiberiadis, cum dormiens à discipulis excitaretur, ut averteret naufragium, ex Matth. 8. 24. Calixtus Placentin. ann. 34. hac die accepisse à fororibus nuncium de morte Lazari, eamque emphaticè exposuisse discipulis; verum ibi mansit (scilicet, in Bethabara trans Jordanem) duobus diebus. Statuemus suis in locis ex Joann. 11. 6.

22 Romae pro stabilienda pace inter Senatum, & Porcennam Etruscorum Regem, qui factionem fovebat Tarquiniorum, sed jam illorum uti injustam, damnabat causam.

Inter utrumque tricoe quaestiones.

Gesta & sapientia Hillelis.

Ab utroque sumptis Phariseorum traditiones.

Dies XXXII. jejunij Christi.

fam; dati sunt obsides, in quibus etiam fuit Consulis Poplicolae filia Valeria, quae cum alijs, duce Coelia, seu Cloedia, Tiberim tranans è castris Porfennae fugit in Urbem, sed pater reduxit ad Regem etiam cum reliquis & Coelia simul; quam, quia dux audacis facinoris, honoravit Porfenna equo regio insigniter phalerato, & Roma equestri speciosa statua; ut praemissimus die 5. n. 11. Plin. 34. cap. 6. facinus & honorem tribuit Valeriae, non Coeliae, cui Piso assignat. *E diverso Annus Faecialis* (inquit) *statuam equestrem, qua fuerit contra Jovis Statoris adem, Valeria fuisse, Publicola Consulis filia: eamque solam refugisse, Tiberimque tranavisse, ceteris obsidibus, quae Porfenna mittebantur, interceptis Tarquinij insidijs.* Plutarch. in Poplicol. ait: *Statuam equestrem Cloelia, quidam tamen Valeria vindicant. Utrique arbitror honor, decusque concessum; ita ut Coeliae statua esset via sacra, Valeriae verò ad aedem Jovis Statoris.*

23 Ex ordine narrationis Plutarchi constant diversi in utraque virtutis tractus, ex quibus merita ad Statuarum honorem. Utraque cum reliquis vel obice flumine, in Urbem refugit, Consul ut obsides Porfennae reddidit: *Quod ita futurum cum praesensisset Tarquinius, collatis adversus eos qui virgines reducebant, insidijs; in trajectu, majore numero, pauciores est adortus: iisque se defendentibus, Valeria Poplicolae filia, per medios pugnantem se proripuit, & à tribus servis una elapsis, servata est: reliqua non sine periculo pugnantibus permiste fuerunt. At Porfenna filius Aruns, eo cognito, celeriter auxiliium Romanis tulit, eosque pulsus hostibus conservavit.* Dubium itaque diluitur, & utriusque virtus foeminae equestri statuam in memoriam muneratur. Idem regerit Plutarch. de *Mulier. virtutib. cap. 14.* Marlian. cap. 58. & in *Epiom. 3. cap. 25.* Valeria ergo Poplicolae nata cum dentibus. In foeminis ea res (inquit Plin. 7. cap. 16.) inauspicati fuit exempli Regum temporibus. Cum ita nata esset Valeria; exitio civitatis in quam delata esset, futuram; responso aruspicum vaticinante: *Suessam Pometiam illa tempestate florentissimam, deportata est; veridico exitu consecuto: refert Dionys. Halicarnass. 6. n. 19. & 42. Idem lib. 8. n. 20. narrat illam jam vetulam cum alijs matronis movisse Veturiam ut ejus praesentia Coriolanus parceret urbi, & voto potitam: quapropter cum ex eo articulo matronis concessum, quod Fortunae Muliebri templum aedificaretur, Valeria instituta prima Sacerdos.* Ibid. n. 29.

Valeria statua equestris.

Ejus virtus.

24 Eodem die ann. sequent. triumphus M. Valerij, fratris Poplicolae, Consulis, de Sabinis. Beyerlinck. Describit non triumphum pompam, sed honorem Plutarch. in *Valer. Poplicol. Foedere isto cum Porfenna, Sabinis in agrum Romanum irruentibus* (inquit) *M. Valerius Consul est creatus, maximis rebus gestis praesentia & consilio fratris. Marcus duobus praelijs Sabinos superavit; in quorum posteriori, nullo Romano amisso, tredecim millia hostium cecidit. Quare praeter triumphos, hoc ei honoris tributum est, ut in Palatio ei domus publicis edificaretur sumptibus. Praeterea cum eo tempore adium fores omnes introrsum ductae aperirentur; fecerunt ut ejus solius foras janua propelleretur, &c.*

Triumphus M. Valerij & honores.

Prodigium pugnae.

25 Hac in die & in insula Rhodo, & in vico Sebrius in Laconia. *Helenea sacra.* Meurs. *Graec. feriat. ex Pausania, cap. 96. & 102.* Ut numina amulari in flagitijs dicerentur, aras, fanaque Ethnici erigebant Vitijs. Unde Helenea, quae scandalum, Asiae & Europae pernicijs, dedicarunt templa, constituerunt sacra, & collocarunt ejus imaginem cum Hercule. Idem ibid. Deam celebrarunt pulchritudinis & venustatis, & cum prodigijs etiam in dedecus Veneris. *Erat Aristoni amicus Spartiata* (refert Herodotus, 6. n. 15.) cui uxor speciosissima, ex turpissima facta: siquidem hanc mala forma praedam cernens nutrit; excogitavit, ut puellam singulis diebus bajularet ad Helenea templum; quod est in loco, qui dicitur Terapne supra fanum Phœbi. Eo quoties nutrit intulerat puellam, stans ante simulacrum, precabatur, ut alumnam deformitate liberaret. Cui aliquando exenti è templo mulier quadam apparuisse fertur, atque interrogasse illam quidnam in ulnis gestaret: & cum nutritrix se infantem gestare respondisset; jussisse sibi ostendi: cumque negaret nutritrix se id facturam, quod infantem parentes sui venissent ostendi cupiam; institisse jubere prorsus, ut sibi ostenderetur: magni enim facturam illam, se à se infans conspiceretur. Ita nutritrix puellam ostendente, demulcentem caput puellae, dixisse; futuram illam omnium Spartanarum formosissimam, atque ea ab ea pristinam speciem decidisse. Haec prodigia auctoratae meretricis, cui sacra studiose fiebant, & praeparabantur vasa pretiosa, quae continerentur sacrorum arcana, & vocant *Helenaephoria.* Rhodigin. lib. 6. cap. 18.

Helenea sacra.

Helenea sacra pulchritudinis.

Templum, in quo pulchritudo deformibus consecratur.

Helenaephoria.

26 De pulchritudine gloriabatur, sine infamiae rubore toties rapta: etiam excussit Euripides in *Helena Tragœd.* asserens embolio Junonis Paridem non tulisse Helenam

in Trojam, sed spectrum, sicut illa in nube objecta Ixioni, quae quidem evanuit larva, dum in Aegypto, quò fugerat, à marito inventa Helena. Idem à v. 30. Lycoph. in *Cassandra, à v. 112.* Nos *Isagog. Maij, n. 21.* Unde Pausan. cap. 342. signat cum ancillis exeuntem ad Ilij moenia, adstante Heleno, filio Priami, moestissimo, & quia uti vates praesentebat futuram Trojae cladem, & illam cognoscebat versipellem: quapropter cum urbs jam caperetur; ut posset reconciliari viro, Graecis facem ostendit, & Trojam cum civibus prodidit. Hygin. fab. 249. & Natal. Comes, 6. *Mitholog. cap. 23.* Ingressus Menelaus in Ilium, dicitur stricto gladio in illam irruisse, sed eximia pulchritudine ab ictu suspensum brachium. Pausan. cap. 166. sicut illam Aeneas Venus invisibilem reddidit, dum vel ad aram stricto ferro vidit Trojae communem Erinny. Virgil. 2. *Aeneid. à v. 566.* Alij asserunt gladium ab aquila fuisse è manibus arreptum. Eustach. in *Homero. pag. 417.* At alicubi factum referunt AA.

Helenea sax seclerata.

Libetatur saepe à morte.

Libetatur saepe à morte.

Aquila eripit.

Hepenthe herba.

Helenum herba.

Effectus.

27 Plutarch. in *Paral. n. 37. Pestilentia Lacedaemone vulgata* (inquit) *responsum dedit Apollo, sinem fore mali, si generosam virginem de more immolassent.* Sorte aliquando ductam Helenam, ubi ornata produxerunt aquila demittens se, rapuit ense, atque in armenta portans, super buculam eum posuit qua de causa à virginibus maclandis abstinuerunt. Ex ipso historiam etiam referunt Rhodig. 13. cap. 20. & Pier. Valer. 19. cap. 6. Absumpta ergo à Menelao, in Spartam direxit iter; sed orta procella deducti sunt in Pelusium, quò à Protheo humanissime ac regie accepti sunt; contracta summa amicitia inter Prothei uxorem & Helenam: & huic cum abiret, tradidit herbam Nepenthem, seu hilaritatis in oblivionem contractae tristitiae. Plin. 25. cap. 2. ut cunctis mortalibus distribueret. Rhodig. 19. cap. 3. Hinc solvit in insulam Cranen, quae post ab ipsa Helena vocata. Pausan. cap. 33. & Nonnius in *Insul. Graec. Tabul. 8.* quò etiam nimis ploravit, ita ut ejus ex fletu oriretur mirabilis herba, vocata *Helenum.* Natal. Comes, 6. cap. 23. *Helenum è lachrymis Helene dicitur natum: & ideo in insula Helena laudatissimum.* Plin. 21. cap. 10. Effectus promit ibid. cap. 21. *Helenum ab Helena, ut diximus natum. Favere creditur formae. Cutem mulierum in facie reliquoque corpore nutrit incorruptam: propterea putant usu ejus quamdam gratiam ijs, Veneremque conciliari. Attribunt & hilaritatis effectum eidem pota in vino; eumque quem habuerit*

*Nepenthe illud pradicatum ab Homero, quòd tristitia omnis aboleatur. Est autem succi praeduleis. Sic dicitur Helena Calix, de quo infra. A Philostrato Crater Helena, apud Rhodigin. d.*

28 Funem turpitudinis trahebat; quapropter ne domi permaneret laesa nota fama cum vilissimo in genitrice dedecore; mortuo Menelao, à filijs ejecta è domo: quae fugit in Rhodum ad cognatam suam Polixo, quae insulae principabatur. Pausan. cap. 102. & Natal. Comes, ubi dudum. Tunc secum ferens craterem; non Veneri, sed Minervae sacravit. *Minerog templum habet Lindos insula Rhodiorum; in qua Helenea sacravit calicem ex electro: adjicit historia, Mammae sua mensura: subdit Plin. 33. cap. 4. De hoccine mirifico craterè fuisse Adrian. Jun. Adagior. Centur. 6. n. 25. & Homer. Odyf. 4. Latino idiomate:*

Crater & Calix Helenea.

Homer.

*Trarum causas abolens, fugansque malorum sensum, & tristitia pariens obliviam, vino.* 29 Nemesis urgebat à tergo; unde illius quaeque segmenta portanti semper infausta. Ejus monile ominosum deveniens in potestatem cujusdam foeminae, postquam illa suspensa. *Quae Helena monile gestare solita, in meretricium probum incidit; pulchritudine sua eam expetentibus prostrata.* Tiraquell. in *Alexandr. 5. cap. 15.* ex Atheno, 16. n. 4. Hac de causa invisa nautis flammula, Helena appellata, dum apparet in procella. *Gemina salutare, quarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatam Helenam.* Plin. 2. cap. 27. Helena ergo se contulit Rhodum ad necessariam suam Polyxo, uxorem Tlepolemi, qui Helena causa occisus fuerat à Sarpedone in bello Trojano. Hygin. *Fabul. 113.* Polyxo itaque (ait Pausan. cap. 102.) volens in Helena ulcisci Tlepolemi necem; ubi in potestate Helenam habuit, immisit in eam lavantem ancillas. *Furiarum habitus, quae illam comprehensam, cum ad arborem suspendissent, laqueo necarunt.* Idem Natal. Comes, d. In Terapne Menelai delubrum est: coque in loco Menelam & Helenam sepultos tradunt. *At Rhodij Lacedaemonijs neutriquam assentiuntur.*

Crater & Calix Helenea.

Homer.

Monte.

Flammula.

Helena suspenditur laqueo.

Sepulchrum ejus.

Dea fit, & vocatur Venus Sospita.

Imago.

30 Sic itaque strangulata, Dea facta est, & simulacrum ejus collocatum in templo Deae Syriae, ait Lucianus, *Dialog. 162.* & vocata *Venus Sospita*, cujus templum in Aegypto; ait Herodot. 2. n. 32. & in Helena insula, uti refert Nonnius, d. *Forma & habitu Veneris erat ejus simulacrum, in manu habens poculum anatum; allusione ad Craterem de quo supra. Lucian. Dialog. 168. Helena autem (inquit) pulchritudinis gratia, cum se-*